

rum, vel concedendarum, vigore reservationum, sive earumdem facultatum, obtemperandi ad hujusmodi Beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore facte fuerint; quas quidem literas etiam si per eas ad inhibitionem reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet processum fuerit, necnon reservationes, facultates, & nominationes, cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis clausulis, quatenus presentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut alias eisdem presentibus quomodolibet obistere viderentur, sive ex certa scientia nostra, vel simili motu, sive alias sub quibusvis forma, & expressione verborum, & quae fortasse totalis sui tenoris insertionem, ac illorum, quibus concessa sunt, vel fuerint nominum, & cognominum individualem expressionem presentibus faciendam ad hoc, ut illis per eandem presentes sufficienter derogetur, exigant, vel requirant, & quae ipsis presentibus, perinde ac si earum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur, emanaverint, & mandata de providendo inde sequuta cum processibus per ea pro tempore habitis, nisi illi, pro quibus emanaverint, ut praefertur, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium numero fuerint ad Beneficia, quae precum, & nominationum primariorum vigore, personas, pro quibus illa facte fuerint, acceptata, & de quibus eis provideri contigerit, minime extendi, quin imo in illarum executione personas ipsas omnibus, & quibuscumque eorum literarum, & expectativarum, reservationum hujusmodi vigore, & cum quibusvis antelationum prerogativis, etiam illis, quas certis nostris familiaribus continuis commendabilibus in Cancellaria Apostolica, ac aliis nostris literis ad effectum, & aliis in asequutione Beneficiorum conferendis nominatim descriptis concessimus, & cum similibus derogatoriis clausulis, quae nulli, quominus presentium succedat effectus, suffragari debeat expectantibus, etiam si illarum obtentu in quibusvis Ecclesiis in Canonicos recepti, ac de numero ipsorum familiarium continuorum Commensalium antiquorum fuerint, necnon gratias in communi forma pauperum habentibus, ac Officialibus, & Illustribus, ac aliis quascumque facultates habentibus etiam nostris familiaribus continuis Commensalibus antiquis, & descriptis, & imposterum describendis, dictis Cardinalibus dumtaxat exceptis, anteferi volumus: sed nullum per hoc expectantibus praefatis quoad asequutionem Beneficiorum aliorum praedictorum generari; seu si dictis Collatoribus, vel Collatricibus, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommu-

nicari non possint. Quodque de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quilibet alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Aut si persona praefata praesentes non fuerint ad praestanda de observandis statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus hujusmodi beneficia fuerint, ut praefertur, solita iuramenta, dummodo in absentia sua per Procuratores idoneos, & cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa praestent, necnon concordatam Nationis Germanicae in eorumdem concordatorum confirmatione, ac praedictis, ac quibuscumque aliis quomodocumque editis, & edendis Constitutionibus, & Regulis nostris, & dictae Cancellariae: ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam habentes preces, seu nominationem hujusmodi minime teneantur, nec ipsae preces sub illis comprehendantur quoquo modo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & Literis Apostolicis, & quibusvis gratiis expectativis specialibus, vel generalibus etiam mensalibus reservationibus, suspensionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominandi, & aliis conferendi, commendandi, supprimendi, & extinguendi, aliisque citra accessus, & regressus de consensu facultatis, literis, mandatis, & indultis quibuscumque; & cum provisionibus, Commendis, & aliis dispositionibus ex tunc, & gratiis quibusvis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, & quacumque etiam imperiali, regali, reginali, ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, praesentia, nobilitate, & excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fungentibus, & familiaribus continuis Commensalibus nostris etiam descriptis, & antiquis, & in eorum ad Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & Principalium Monasteriorum, Mensarum Capitularium, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum, quorumcumque cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum regularium, locorum piorum, universitarum studiorum, & aliorum quorumcumque, aut in nullius favorem, aut eorum, necnon jurium cessionum, vel ablatorum, aut

aut spoliatorum, damnorum etiam per infideles illatorum, & obsequiorum Nobis, Romanae Ecclesiae, vel praefatae Sedi, aut pro fide Catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, & urgentissimis, & insolitis, necnon exprimentis causis consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolice potestatis plenitudine, ac cum quibusvis antelationum prerogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, suspensionibus, ac gratiis, & restitutionibus, modificationibus, exceptionibus, & annullativis, irritativis, ac derogatoriis derogatoriis, nec non praefatis, & alias quascumque concessas, & concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, nec non mentis, & intentionis, ac perpetuae, & incommutabilis voluntatis nostrae fuisse, & esse de non revocando, & suspendendo gratias easdem, & illis non derogantibus quomodolibet attestantibus, & in pristinum, & validissimum statum revertentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti, & iniri contractus, ac perpetui statuti, necnon gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, & ex tunc vere, & non fide, etiam quoad possessionem distorum Beneficiorum, ac omnes juris, & facti defectus plenum esse sortitas effectum decernentibus, & declarantibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis per Nos, & Sedem praefatam, aut ejus legatos in genere, vel in specie, etiam nominatim de dictis Beneficiis, & aliis quomodolibet emanatis, quibus etiam si in illis, quod ille non nisi certis modis, & formis inibi expressis, & nominatis, verbisque, & signis inibi appositis, & omni diversarum Literarum Apostolicarum expeditione, & intimatione, etiam diversis temporibus facien, ac de consensu eorum, quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, & quatenus suspendentur, aut illis derogaretur, toties de novo, & sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur eligenda concessa, & facta sint, & esse censeantur, ac expediri possint, ac si non aliter per quoscumque Judices, & personas judicari debeat caveatur expresse illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos, & formas hujusmodi pro individuo servatis habentes ad effectum presentium omnino derogamus, & in dictis Beneficiis, cum, uti praefertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vindicare, necnon decernentes praesentes literas nullatenus de subreptionis, & obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, & sic per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Judi-

ces, & personas ubique judicari, cognosci, atque decideri debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, & decidendi facultate, necnon irritum, & inane, quidquid secus super premissis omnibus, & singulis, vel eorum aliquo quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.
§.6. Praeterea, quia difficile foret, praesentes literas ad singula loca deferri, volumus, & dicta auctoritate nostra decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ubique adhiberetur eisdem presentibus, si forent exhibita, vel ostensa.
§.7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.
Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo trigésimo octavo, duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno XVI.

D X C I.

Indulgentia plenaria pro visitantibus Ecclesias Societatis Jesu, ac Communione refectis in festo Sancti Francisci Xaverii, cum translatione Indulgentiae, quando festum occurrit prima cum Dominica Adventus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alias felicitis recordationis Gregorius XV. Praedecessor noster omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis Societatis Jesu, ac aliis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus in festo Sancti Francisci Xaverii devotè visitassent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in literis desuper concessis plenius dicitur contineri;
§.1. Cum autem, sicut Praepositus Generalis dictae Societatis Nobis nuper exposuisset, festum Sancti Francisci Xaverii praedicti quandoque in Dominicam primam Adventus incidat, cupiatque propterea illud in aliam Nobis beneficam diem, ut infra transferri.

Transumptis danda fides.

Clausula penales.

Dat. die 20. Novem. 1638. An. XVI.

Gregor. XV. edidit Const. de hac materia.

Causae concedendi novae indulgentiae.

Nos

Concessio, de qua in Rubr.

§.2. Nos ad angendam seorum Presbyterorum, aliorumque utriusque sexus Christifidelium devotionem, & animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, quotiescumque de cetero festum huiusmodi in dictam primam Dominicam Adventus inciderit, celebrationem festi huiusmodi in unum ex diebus infra octavam festi praedicti Sancti Francisci, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo transferimus, iisdemque Presbyteris, ac aliis Christifidelibus praedictis aliquam ex dictis Ecclesiis Societatis huiusmodi visitantibus, & praemissa peragentibus die, in quam celebrationem festi huiusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptio danda fide.

§.3. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Dat. die 2. Decem. 1638. An. XVI.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Anno Piscatoris, die 2. Decembris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DXCII.

Ex Reges. in Secret. Breve.

Decimae nonnullae super Bonis Ecclesiasticis in Dominio Reipublicae Venetorum imponuntur in subsidium eiusdem Reipublicae pro sumptibus belli contra Turcas.

Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Thessalonicensi, moderato, & pro tempore existenti, nostro, & Sedis Apostolicae in Dominio Venetorum Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerabili Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacro sanctae militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae nullo licet meritorum suffragio praepositi inter graves sollicitudines, quibus pro credito Nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula, atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno Principibus, & Populis Christianis nunquam non impendunt Nobis conciliant. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, presidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique cura incumbere, ut provisionis no-

strae ministerio, adhibitis Catholicorum Principum viribus, mala huiusmodi procul a populo Christiano arceantur.

Causa imponendi Decimas.

§.1. Cum vero plus satis constet eundem impium Turcarum tyrannum nihil avidius querere, quam Christianos populos invadere, & Christianam Religionem exterminando abominationem suam plautare, & propagare, ejusque vires nostris facientibus peccatis malo nostro admoniti cogamur timere, omnique cura, & sollicitudine praecavere: multo magis castra Domini custodire, & premunire Nos oportet hoc tempore, cum ab expeditione contra Christianos multis annis abstinerit, & verisimile sit, diutius non cessaturum, sed ejus potius diu compressam rabiem vehementius erupturam. Quod malum nos paterna sollicitudine jamdudum metuentes pro officii nostri debito Venetorum praecipue Nobilissimam Rempublicam, qua hostibus maxime exposita esse dignoscitur, non semel in Domino cohortati sumus, ne insidiarum plena cum impiis pace, quibus non est pax, consideret, sed prudenter caveret, suasque arces, portus, & loca muniret, classem, & alia ad bellum necessaria compararet, & parata haberet.

Juxta morem itaque aliorum Pontificum,

§.2. Cum autem ingentes sumptus haec res postulet, Clem. VIII. & Pauli V., nec non Gregorii XV. aliorumque Rom. Pont. Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eam Rempublicam id enixe flagrantem, ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adjuvare decrevimus, attendentes non solum Nos ejus unius salutem, verum etiam multorum, ac omnium Italiae populorum incolumitatem consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae monumentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum, & rationi consentaneum esse duximus, eisdem Reipublicae eorundem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii Praedecessorum exemplo, subsidio Decimarum ex fructibus, & redditibus totius Cleri ejusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habere, fore, ut ea Reipublica, hac testificatione paterna voluntatis erga se nostrae, non solum sese munitam, & pro re nata ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam ad pristinos belli spiritus resumendos contra eundem Turcarum tyrannum excitetur, ut ille Christianorum armis ab Europae finibus aliquando detrudatur.

Sexdecim Decimas imponit PP. super fructibus quorundam beneficiorum Ecclesiasticorum.

§.3. Nos igitur istis, aliisque gravissimis, & justissimis de causis moti, motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine nostris, tenore praesentium indicimus, & imponimus sexdecim integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopali-
Epi-

Necnon super pensionibus praedictorum fructuum.

Episcopali, Abbatiali, Capitulari, & Conventuali, Prioratu, quoque Praepositorum, Praepositatum, Praeceptoriarum, Canonicatum, Praebendam, Dignitatum, etiam majorum, ac principalium, personatum, administrationum, & officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Sancti Basilii, Silvestrinorum, & qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico, vel alias possident, Mendicantium, & quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus, & Congregationis, non tamen earum, quae inferioris descriptae sunt, ac militarium regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium.

Necnon super pensionibus praedictorum fructuum.

Nonnullos ab huiusmodi onere eximiat.

§.4. Ac insuper alias sexdecim decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, & proventibus supra dictis assignatarum, & assignandarum ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ceterisque cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis personis, exceptis dumtaxat Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon dilectis filiis Fratribus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac Fratribus Mendicantibus praedictis, & insuper beneficiis ecclesiasticis officio S. Inquisitionis haereticae pravitatis in dicto Dominio instituto unitis, annexis, & applicatis, quos Cardinales, & Fratres Hospitalis praedicti, ac beneficia praedicta Inquisitionis officio unita in totum, Fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis, & illarum solutione immunes, & exemptos esse volumus, & decernimus, Ecclesias, Monasteria, & beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem Dominio quocumque jure, ac titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon ab universis, etiam Economis, Commendatariis, atque Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes, vel illorum partem, loco pensionum annuarum, vel pensiones, & alia huiusmodi jura ex quacumque auctoritate apostolica in toto, vel in parte reservata habentibus, & habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Militiarum, praefatorum regularibus, & ab ipsis etiam Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, personis, Collegiis, Militiis, massis, & locis praefatis quacumque amplissima, & firmissima exemptione, & immunitate reali, personali, vel mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua, etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis, integraliter, & cum effectu numerandas persolvere, & consignare.

§.5. Ulterius supra dictis ex causis, ac exemplo Clementis, & Pauli, ac Gregorii Praedecessorum praefatorum adducti, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus imponimus, & indicimus novem decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum ad Casinensem, alias S. Justinae de Padua, Lateranensem, Cartusiensem, Montis Oliveti, Sancti Salvatoris, Camaldulensem, S. Mariae Vallis Umbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Celestini, Cisterciensis, Provinciae Lombardiae Cruciferorum, & S. Hieronymi Congregationes, earumque Monasteria, Abbatiales, vel Conventuales, aut alias mensas, Prioratus, Praeceptorias, Praepositorias, beneficia, & officia cum cura, & sine cura, membra, grangias, & alia loca illis annexa in dicto Dominio consistentia, quovis modo pertinentia, solven, & per ipsas Congregationes, eorumque Superiores, Abbates, Priores, Praepositos, Conventus, Capitula, & personas ultra subsidia Montis Religionis, seu quadringentorum millium scuti, & quartae partis eorundem fructuum, reddituum, & proventuum, & alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita, aut alias persolvunt, seu persolvere permiserunt similiter numerandas, & persolvendas, & consignandas secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, & proventuum praefatorum: & ad hunc effectum licet fel. rec. Pius PP. V. nonnullis tunc causis adductis, & Clemens, necnon Paulus, ac novissime Gregorius Praedecessores praefati etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem Congregationes a decimis super fructibus, & redditibus ecclesiasticis deniceps ubivis, etiam in dominio Venetorum, & ex quacumque causa imponendis liberas, & immunes fecerint, pari motu, scientia, auctoritate, & de apostolica potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus, & proventus ad ipsas Congregationes, & quamlibet earum in dicto Dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes, & quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in forma Camerae Apostolicae, & Juramento, vel quavis alia firmitate roborata, praesertim inter Pium, & Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium Praedecessores praefatos, & Cam. Apostolicam, & pro ea S. R. E. Camerarium, vel Thesaurarium Generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, & ejusdem Camerae ministros quantumvis ampla, & sufficienti facultate ad praemissa facien. suffultos ex una, & Congregationes ultimodictas, illarumque Procuratores ex altera partibus, ac omnia, & quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causa in hunc usque diem eisdem Congregationibus, etiam ex causa, & titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, & ex causis supra dictis suspendimus, ac ipsis Congregationibus quoad novem, deci-

Alias novem decimas super fructibus ad nonnullas Congregat. atri-entibus imponit.

Non obstant. aliis oneribus quibus succumbunt.

Nec privileg. contrariis.

decimas predictas, hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus: illa vero alias in suo robore permanere decernimus, ipsasque Congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis hujusmodi oneramus cum caeteris secularibus, ac regularibus clericis personis ejusdem Domini Venerorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostra impositioni acquiescere, ac tacitas, & contentas esse volumus.

Modum solvendi Decimas declarat.

§.6. Universas vero, & singulas personas quavis dignitate, vel auctoritate fungentes, tam supradictas Ecclesias, Monasteria, & beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem sibi, ut praefertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas Congregationes, & eorum unumquemque, tam conjunctim, quam divisim, ad hujusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, & quoad ultimodictas Congregationes singulas decimas cum una octava parte alterius decime, quoad dictos autem Fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis durante octennio a die 2. Junii proxime praeteriti, qua ultima concessio expirat, computant, & ut sequitur finem, in certis terminis per te praefertendis integre persolvent, efficaciter teneri, & vere obligatos esse, iisdem pensionariis, aut eorum alicui pensiones annuas praedictas quantumlibet exemptas, & sub quibuslibet obligationibus etiam in forma Camerae, & juramento etiam de non contraveniendo, & forsitan de non impetrando gratias nostras contra eos, & de non utendo concessis firmatas, aut alias vallatas, & forsitan aliis cautelis, & decretis munitas, causam donationis super iisdem fructibus, & pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in forma depositi habentibus, & intra octo annos praefatos habituris, etiamsi ipsi, a quibus pensiones hujusmodi solvenda sunt, juri, vel actioni petenda, vel retentione, portionis, aut rate partis pensionarios tangen. jure jurando renunciaverint, ulla privilegia, aut indulgentias, sub quacumque verborum forma, aut exemptione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus.

Clausula sublata.

§.7. Sicque, & non aliter in praedictis universis, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Ministros ad exigendas decimas deputat.

§.8. Ut autem hujusmodi decime facilius exigantur, Fratritatem tuam, ac Venerabiles Fratres Patriarcham Venetiarum, & Episcopum Clodien. pro tempore existentes ad dictas decimas exigendas. Ducique, & Dominio praefatis, sive eius Ministris ad id specialiter deputatis, statim nulla interposita mora, & sine aliqua prorsus diminutione, retentione, aut detractione

etiam non detractis quinque pro centenario Camerae nostrae praefate in exactione tallium decimarum applicari consuetis, integre consignan. earundem decimarum collectores, & exactores per praesentes constitutum, & deputamus, ac Tibi, & Patriarchae Venetiarum, ac Episcopo Clodien. pro onere, quod in exactione decimarum hujusmodi sustinebitis quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, & illorum medietatem inter vos pro aequali portione, & quolibet anno ejusdem octennii pro rata distribuend. & dividend. reliquam vero medietatem subcollectoribus, & aliis exactoribus, ac procuratoribus ad eandem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno pro rata habita ratione laboris, & amplitudinis ejusdem Civitatis, & Dioecesis, loco salarii, seu stipendii, & mercedis assignand. & distribuend., ita tamen, ut non quotannis hujusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum pro rata quolibet anno detrahatur, ac tam vos, ac quilibet vestrum, quam ipsi subcollectoribus, & aliis praefati ratione fructuum Ecclesiarum, quibus tunc praesse dignoscimini, aut imposturum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut qua obtinere, necnon fructuum, & pensionum reservatarum, & assignatarum, quos, & quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestra, & illorum rata, & illorum quemlibet tangente integre, & realiter persolvere omnino teneamini, & dicta assignatione, & distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos, & eorum quilibet pretendere possitis, tibi, & aliis praefatis a dictis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, & Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis, supra expressis exceptis, eisdem Decimas, ut praefertur, per Nos impositas petendi, exigendi, & colligendi, eisque tam in genere, quam nominatim, & in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliusque, prout Nobis videbitur, poenis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias, & censuras ecclesiasticas moderandi, & praecipendi: ac pro earundem Decimarum faciliori exactione unum, vel plures subcollectores, qui si in dignitate ecclesiastica constituti sunt, pari ac tu, vigore praesentium facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque Civitate, & Dioecesi, & loco tibi subiecto pro tempore deputatos approban., & si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputat. neglexerit, tibi etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputat., & deputatos amoven., aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi, & subrogandi, ac solvere recusantes, & differentes, & generaliter Con-

Contradistores quoslibet, & rebelles, & ne decima hujusmodi solvantur, persuadentes directe, vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi, solventes vero de solutis quietandi, & liberandi, a censuris, & poenis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerunt, absolvend., & generaliter omnia alia, & singula in praemissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi, & exequendi, plenam, & liberam auctoritate, & tenore praedictis facultatem concedimus, & potestatem.

Obstantibus derogat.

§.9. Non obstant. regula nostra de non tollen. jure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, & etiam in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si ipsis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod ad solutionem alicujus Decime non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspensive, vel excommunicari, seu extra, vel ultra circa loca ad iudicium evocari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus etiam in corpore juris clausis, ac Litteris Apostolicis quibuscumque Dignitatibus, seu Ordinibus specialiter, vel generaliter sub quacumque verborum forma expressis, etiam motu proprio, ac de apostolica potestate plenitudine, & consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda esset, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Sacra supellectilia ne in locum pignoris pro hujusmodi Decimis recipiantur prohibet.

§.10. Volumus autem, quod iuxta ordinationem in Concilio Viennen. super hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum piorum locorum divino cultui dedicata ex causa pignoris, vel alia occasione solutionis Decimarum hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§.11. Quodque praesentium Litterarum transumptis tuo, vel alterius, Praelati Ecclesiastici sigillo, & publici Notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quae ipsis Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die quarta Decembris 1638. Pontificatus nostri Anno Decimosesto.

Datum die 4 Dec. 1638. An. XVI.

DXCIII.

Mandatur Ecclesiasticis Urbis Sancti Angeli in Vado, ejusque Territorii, ut bona emphyteutica, quae per finitam lineam ad ipsos devolvi contigerit, proximioribus denuo in emphyteusim concedant.

Ex Reg. in Sect. Br. 11.

Dilectis filiis Communitati, & Hominiibus Civitatis nostrae Sancti Angeli in Vado.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Constantis fidei, & sincerae devotionis affectus, quo Nos, & Romanam reveremini Ecclesiam, promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quae vestris commodo, & indemnitati fore conspiciamus opportuna.

Procurium

Concessio, de qua in Kalis.

§.1. Hinc est, quod Nos volentes vos specialibus favoribus, & gratis prosequi, vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Quod de caetero perpetuis futuris temporibus directi Domini Ecclesiastici bona emphyteutica in Civitate nostra Sancti Angeli in Vado, ejusque Territorio existentia, quoadcumque contigerit ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu persona illi, per cujus decessum linea hujusmodi finietur, pro competentem canone, seu pensione, solutaque debita mercede pro laudemio concedere, & de illis investire omnino debeant, & teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, apostolica auctoritate, tenore praesentium statuimus, volumus, & ordinamus.

Clausula sublata.

§.2. Sicque inviolabiliter observari, ac per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, aliosque quoscumque, quavis auctoritate fungentes iudicari, & definiti debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate,

Legato de latere Urbinate, & Gubernatori Civitatis nostrae Sancti Angeli in Vado mandavit has literas observari faciant.

tate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§.3. Quocirca dilectis filiis status nostri Urbinate, de latere Legato, ejusve Vice-Legato, ac Gubernatori Civitatis nostrae Sancti Angeli in Vado nunc, & pro tempore existentibus per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, presentes Literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, seu alicujus vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra presentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, non permitte-tes vos per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, impediri, vel inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis processibus, servataque forma Concilii Tridentini, censuras, & poenas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio obstantibus.

§.4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in Conciliis universalibus provincialibusque, & synodalibus aditis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, Abbatiarum, Monasteriorum, aliorumque locorum piorum quomodocumque nuncupatorum, ac qualitercumque qualificatorum, etiam juramento, confirmatione, apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Janu. 1639. An. XVI.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Januarii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DXCIV.

Personae incapaces Beneficiorum Ordinum Militiarum Sancti Jacobi de Spata, Calatrava, & Alcantara, quibus per Reges, ac alias apostolica auctoritate Prioratus, Commenda, & Beneficia praedictarum Militiarum conceduntur, tenentur solvere partem fructuum ipsorum. Prioratum, Commendam, & Beneficiorum, quam Milites de illis provisi solvere debent juxta Literas Apostolicas, & Statuta Ordinum praedictorum.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Um, sicut Nobis nuper expositum fuit pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, qui Militiarum Sancti Jacobi de Spata, & de Calatrava, necnon de Alcantara sub Sancti Augustini, & Cisterciens. respective regulis administrator perpetuus, auctoritate apostolica deputatus existit, ipsarum Militiarum statuta, seu stabilimenta, apostolica auctoritate confirmatis inter alia caveatur expresse, ut quicumque de Praeceptoris, seu Commendis, Prioratibus, & quibusvis aliis Militiarum hujusmodi Beneficiis quovis modo, praeterquam per resignationem ex causa permutationis, vacantibus pro tempore provisi certam fructuum, reddituum, & proventuum Praeceptoriarum, seu Commendarum, Prioratum, & Beneficiorum hujusmodi partem communibus dictarum Militiarum erariis ad effectum restaurandi, & reparandi Domos, & Aedificia ipsarum Militiarum applicandam solvere teneantur, & alias prout in fel. rec. Sixti IV., & Julii II., ac Pauli III. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum literis statutorum, seu stabilimentorum hujusmodi confirmatoris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus plenius respective dicitur contineri.

Juxta hujusmodi Militiarum statuta, provisi de earum Beneficiis Praeceptoriarum partem fructuum solvere debent.

§.2. Praeteritis autem temporibus per praefatum Philippum, aliosque Reges Catholicos eius Praedecessores ex facultate apostolica eis specialiter aliquando concessa, ac etiam per Nos, & Romanos Pontifices nostros Praedecessores ad ipsius Philippi Regis, & aliorum Regum Catholicorum ejus antecessorum supplicationes, & instantiam quamplurima Praeceptoris, seu Commenda, ac Prioratus, & alia Beneficia hujusmodi dictarum Militiarum personis incapacibus ad vitam earundem, seu per modum supervivenciae Commendatarii titulati ad certum tempus, ac etiam pro determinatis pecuniarum summis pluribus annis exigendis, & forsitan aliis modis concessa fuerint; Incapaces vero, quibus concessionibus hujusmodi factae fuerint, partes fructuum, reddituum, & proventuum Praeceptoriarum, seu Commendarum, Prioratum, & Beneficiorum hujusmodi sibi, ut praefertur, concessorum, juxta Militiarum

Provisi cum dispensatione apostolica ea solvere teneant.

Philippus Rex remedium flagitat.

Urbanus declarat, prout in Rubrica.

rum hujusmodi statuta, seu stabilimenta praedicta persolvendas solvere recusent.

§.3. Nobis propterea Philippus Rex, & Militiae hujusmodi supplicari fecerunt, ut in praemissis earundem Militiarum indemnitate opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

§.4. Nos igitur attendentes, non esse rationi consentaneum, ut incapaces hujusmodi melioris conditionis, quam ipsi dictarum Militiarum Milites capaces existant, & eundem Philippum Regem, dictarumque Militiarum Milites specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas personas quantumlibet, & ex quibusvis causis, etiam multiplicibus incapaces, etiam infantem, pupillos, & mulieres, etiam pro subventionibus dotalibus, quibus Praeceptoris, seu Commenda, ac Prioratus, & alia quaecumque Beneficia Militiarum hujusmodi modis praedictis hucusque concessa fuerunt, ut praefertur, vel alias quomodolibet etiam pro rata fructuum, & pensionum super eis quomodolibet sibi reservatorum ad solvendum partes fructuum, reddituum, & proventuum ipsarum Praeceptoriarum, seu Commendarum, ac Prioratum, & Beneficiorum, quas Fratres Milites capaces de eisdem Praeceptoris, seu Commendis, ac Prioratibus, & aliis Beneficiis provisi solvere deberent, juxta earundem Literarum Apostolicarum, ac uniuscujusque praedictarum Militiarum, statuta, seu stabilimenta, auctoritate apostolica, ut praefertur, confirmata, respective teneri, & ad id opportunis juris, & facti remediis cogi, & compelli posse, auctoritate praedicta, tenore praesentium declaramus.

Clusula.

§.5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaque Sedis Nuncios, & quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariis.

§.6. Non obstantibus quibusvis concessionibus de Praeceptoris, seu Commendis Militiarum hujusmodi personis praedictis factis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ipsarum Militiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, ac ordinationibus Capitalaribus, privilegii quoque Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

que, indultis, & Literis Apostolicis eisdem personis, & eorum cuilibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimaquinta Januarii 1639., Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Dat. die 15 Jan. 1639. An. XVI.

DXCV.

Extensio subsidii pro Civitate Pisan. ejusque districtu ab Ecclesiasticis solvendi ad aliud decennium.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias fel. rec. Paulo Papae Quinto Praedecessori nostro pro parte bon. mem. Cosmi Medices Hetruriae sibi subiectae, dum vixit, magni Ducis exposito, quod cum pridem hoc etiam me: Afcanius Episcopus Anglonen. tunc apud nos similiter me: Ferdinandum dicti Cosmi magni Ducis genitorem, & Hetruriae sibi subiectae similiter magnum Ducem Sedis Apostolicae Nuncius cognovisset, facultates laicorum expensis necessariis, seu utilibus aggerum, fossatorum, viarum, aquaeductuum, & aquarum diversorum per Officiales, seu Deputatos ad officium Fossatorum Civitatis Pisan. in Districtu, Territorio, & Comitatu dictae Civitatis facien. non sufficere, Clerum tam secularem, quam regularem, personaque ecclesiasticas exemptas, & Milites Militiae Sancti Stephani ratione honorum per eos in Territorio, Districtu, & Comitatu Pisan. possessorum subsidium dictis expensis ad decennium, tunc proximum conferre posse, & debere, auctoritate apostolica sibi ad id specialiter delegata, concesserat, & declaraverat; Voluerat tamen, & decreverat, Clerum, Ecclesiasticas personas, & Milites praefatos ad aliquas expensas ministrorum dicti officii, eorumque Cancellariae ordinarias, vel extraordinarias nullo modo teneri, & alias, prout latius in dicto decreto dicebatur contineri; & in eadem expositione subjuncto praefatorum Fossatorum officium propter expensas necessarias, & utiles eatenus factas, grave aes alienum ad summam scutorum triginta millium ascendens contraxisse, novaque expensas in dies cogi facere, idem Paulus Praedecessor supplicationibus dicti Cosmi Magni Ducis ea in parte inclinatus; Quod Clerus tam seularis, quam regularis, personaque ecclesiasticae etiam exemptae, ac Milites Sancti

Paulus V. a Clero Pisano subsidium pro publicis expensis praestari concessit, & postea ad decennium prorogavit.